



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884



A D

LECTOREM.

QUANTA M consilii nostri ratio fuerit in hac summula edenda, vel ex illius titulo intelligi potest. Ideam Theologiae proponimus, quæ passim alii fusissimè, & plerumque usque ad nauseam, de Deo rebusque divinis tractare solent, brevissimè complectentem. Opus quidem mole exiguum fateor, labore tamen, ut ingenuè dicam, minimè exiguo concinnatum. Utinam quò plus operæ & otii in eo expoliendo posui, eò elegantiori cultu orraturum in apertum prodeat, nec mihi exprobrent Catones, quòd instar parientis Ursæ, informem fœtum, vel cæcum, canum more profuderim. Certè ne membris mutilam, aut oculis carentem prolem ederem, ita brevitatem sectatus sum, ut nihil scitu dignum, quòd sciam, omnino intactum prætermiserim, & ubique quantum res patitur rebus obscurioribus perspicuitatem affundere quàm maxime conatus sim. An autem quem mihi proposui scopum, verè & ex animi sententia attigerim, aliorum erit iudicium. Dedi quoque operam ut qualibet
reso-

AD LECTOREM.

resolutio, una aut altera ratione eaque selectiore probetur, præcipuaque sententiæ oppositæ fundamenta convellantur. Dimissis interim authorum allegationibus, quæ inutilem & parum gratam lectori properanti morantiniicerent.

Quamvis autem Doctoribus Scholasticis, suus cuique debeat honor, ac præsertim S. Thomæ Aquinati Theologorum doctissimo & sanctissimo, à cuius sententiæ agrè discedimus; in delegendis tamen opinionibus, eorum libertatem & ingenuitatem imitamur, qui non jurant in verba Magistri, quique rationibus magis, quam autoritatibus hominum ducuntur. Quò fit ut non tantum in eodem libro, sed etiam non rarò in eodem capite, modò pugnem pro aliquo authore, modo contra illum arma vertam. Scilicet amicus Plato, amicus S. Thomas, amicus Scotus, amici omnes alii Scholastici; sed magis amica veritas. Hanc solam inquirò, in eam mentis meæ, quantulacunque est, aciem totam intendo, & ubicunque occurrere visa fuerit, strictissimè complector. Unde in spem venio, tenuem huic laborem nostrum veritatis amatoribus, ingratum minimè futurum, iis maximè quos vel negotia à studiis diuturnioribus avocant, vel fastidium à lacinosarum tractationum lectione deterret, cum brevem, satisque ni fallor accuratam Theologiæ delineationem in hac

);(s sum-

AD LECTOREM.

mula, velut in tabella depictam habent.

Ad methodum quòd attinet, Theologiam quæ in Scholis doceri solet, triplicem facimus, speculativam, sacramentalem & moralem. Speculativa quatuor libris absolvitur, in quorum 1. agitur de Deo, & attributis communibus. In 2. Trinitatem cum Incarnatione jungimus, propter magnam connexionem quæ inter duo hæc profundissima fidei nostræ mysteria reperitur. Cumque Christus sit longè nobilior Angelis, non immeritò tractatio de Christo, secundum dignitatis locum, in Theologia speculativa sibi vendicat. In 3. lib. tota disputatio circa Angelos versatur; & tandem in 4. de auxiliis divinis, & gratia sanctificante, illiusque effectibus differitur. Sacramentalis Theologia agit in primis de Sacramentis in genere: tum verò speciatim de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordine, & Matrimonio. Tandem Moralis tractationem de virtutibus & vitiis complectetur.

Cæterum quæ in Idea speculativa leviter attinguntur de physica prædeterminatione, aliisque eò spectantibus, lucem accipere poterunt ex suavi Concordia nuper edita, in qua quicquid ad gravissimam illam controversiam spectat, fusissimè expendimus, communem sententiam, & primaria illius funda-


da-

AD LECTOREM.

damenta, contra plerasque novas objectiones, quibus nondum responsum erat, quæque studiosis Theologiæ difficultatem non exiguam ingerebant, defendendo: variisque Patrum testimoniis minimè vulgaribus, pro tenuitate nostra illustrando. Quare Concordia illa, post varias & accuratas aliorum de eadem re lucubraciones ad conciliandam libertatem cum prædestinatione & gratia, necessaria fortè non fuerit, multorum tamen iudicium vetat, ne eam ad id omnino inutilem fore existimemus. Maximè quia ut monet August. 1. de Trinitate 3. *Non omnia que ab omnibus scribuntur, in omnium manus veniunt, & fieri potest ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniunt libros, & in istos saltem incidant, ideoque utile est plures à pluribus fieri diverso stylo non diversa fide, etiam de questionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Ut ut sit, illud mihi assumendum puto ex Hieronymo circa finem commentarii in Jonam, *Cum venia audienda sunt que dicturi sumus, & conatus nostri favore potius, & orationibus fovendi & adjuvandi, quàm spernendi, aure malevola; quia carpere & detrahere vel imperiti possunt: Doctorum autem est, & qui laborantium novere sudorem, vel lassas manus porrigere, vel errantibus iter ostendere.* Quòd si adhuc fastidiosus occurrat, cuius palato nostra hæc ciba-

AD LECTOREM.

cibaria minùs arrideant , aut qui ex Judæo-
rum imitatione , animam suam naufeari di-
cat super cibo isto levissimo , ille certè nihil
aliud audiet ex me , quàm illud ejusdem Hie-
ronymi epist. 50. seu Apologia ad Pamma-
chium cap. 8. *Aut profer meliores epulas,
& me conviva utere; aut qualicum-
que nostra cœnula conten-
tus esto.*



MO: